Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Lexicon Graecolatinvm Novvm

Scapula, Johannes
Zwinger, Jacob

Basileae, 1628

De veteri et recta graecae lingvae pronvntiatione

urn:nbn:de:bsz:31-107465

Visual Library

obtinet locum: vltima, δεκάτη νέα, quæ & δημητρίας in honorem Demetrij dicta aliquandiu fuit. Hoc porrò est discriminis, quòd τῶν ἱσταμένου & μειουντος μηνὸς diebus numerandis recto ordine progrediuntur, τῶν φθινοντος autem decade vtuntur ordine retrogrado, quali Latini in suis nonis, idibus & calendis, vt ex sequenti diagrammate patebit.

| | | | Calendæ. | |
|---|---|---|---|---|
| 1 Νουμηνία | | | IIII | Nonas. |
| 2 δευτέρα | | | III | |
| 3 τρίτη | | | Pridie | |
| 4 τετάρτη | ἱσταμένου μηνὸς. sive ἀρχομένου μηνός. | | Nonæ | |
| 5 πέμπτη | | | VIII. | Idus. |
| 6 ἕκτη | | | VII | |
| 7 ἑβδόμη | | | VI | |
| 8 ὀγδόη | | | V | |
| 9 ἐνάτη | | | IIII | |
| 10 δεκάτη | | | III | |
| 11 πρώτη | | | Pridie | |
| 12 δευτέρα | | | Idus. | |
| 13 τρίτη | μειουντος μηνὸς, vel ἐπὶ δεκάδι, seu δεκάτη. | | XVIII | Kal. |
| 14 τετάρτη | | | XVII | |
| 15 πέμπτη | | | XVI | |
| 16 ἕκτη | | | XV | |
| 17 ἑβδόμη | | | XIIII | |
| 18 ὀγδόη. | | | XIII | |
| 19 ἐνάτη | | | XII | |
| 20 εἰκάς, seu εἰκοστή. | | | XI | |
| 21 δεκάτη | φθινοντος μηνὸς, vel, | πρώτη | ἐπὶ X | |
| 22 ἐνάτη | | δευτέρα | εἰκὰς IX | |
| 23 ὀγδόη | | τρίτη | δευτ. VIII | |
| 24 ἑβδόμη | | τετάρτη | πέμπτη Poll. VII | |
| 25 ἕκτη | | πέμπτη | seu VI | |
| 26 πέμπτη | | ἕκτη | μετ' εἰκ. V | |
| 27 τετάρτη | | ἑβδόμη | πρὸ IIII | |
| 28 τρίτη | | ὀγδόη | δεύ. III | |
| 29 δευτέρα | | ἐνάτη | Pridie | |
| 30 ἕνη καὶ νέα. | ἕνη καὶ νέα, seu τριακάς | | | |

Ita numerandũ esse, tum ex Pollice constat, tum ex scholiis in Aristophanem scriptis, tum etiam ex ipso Plut. in Solone.

Qui verò Latinis mensium nominibus apud Græcos vtuntur, Latinorum quoque supputationem sequuntur. Dicunt enim πρὸ δ' νεουῶν Ἀπρελλίων, πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Γενάρ. πρὸ πολλοῦ ἂν ἦν Σεπτεμβρίου. Id quod in manuscript. quoq; ephemeridib. visitur. Sic enim apud Latinos quoque legimus Plinius, qui dies XV. ante August. Kal. est. Item is dies sextus est ante Februarias Idus. Et Cic. in epist. ad Atticum, vt Athenas a. d. XVII. Kal. Quinct. Ita enim scribendum esse, a. d. (id est, ante diem) non ad, doctissimi quique censent, & Græca consuetudo confirmat. Quæ fuerit autem intercalandi ratio, vide apud Macrob. Saturn. lib. 1. c. 13.

## DE VETERI ET RECTA GRÆCÆ LINGVÆ PRONVNTIATIONE.

*Vacaturis alioqui hisce paginis tractatum de veteri & recta linguæ Græcæ pronuntiatione à doctissimis huius ætatis viris collectum ac memoriæ proditum addiscere, nec ab opere alienũ, nec studiosis ingratum aut inutile fore existimani.*

GRAECORVM literæ XXIIII. Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Θ Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ Χ Ψ Ω Quarũ omnium vim Latinos sentire probèq; exprimere testatur Plutarchus l. 7. Grammatici autem à literis tanquam ex parte simplicissima exordiuntur. Orationem enim in qua versantur primũ omniũ in vocabula, eaque rursus in syllabas, nisi cũ monosyllaba sunt; syllabas demum in literas diuidũt, nisi cũ & ipsæ ex vna vocali constituũtur. Quamobrem etiã literæ à Græcis στοιχεῖα, id est, elementa vocantur, vt docet Plato in Cratylo, & Dionysius. Eædẽ verò etiã γράμματα appellãtur à scribendo siue quòd ex lineis constent. Sunt enim inuentæ simplicissimis articulatæ vocis sonis certo lineatũ ductu exprimendis. Cæterùm diuini huius muneris quis primus inter mortales autor fuerit, non liquet: de qua re, si libet, videre Plinũ lib. 7. c. 56. Ex Phœnicia quidem constat a Cadmo in Græciã illatas. Sed, quod ipsi Græci ignorãrunt, Hebræis deberi earũ inuentionẽ, ipsa nomina apertè declarant. Sexdecim autẽ initio fuisse, idem Plinius, Dionysius, & Plutarchus, verè scribunt. Quum enim inuentæ sint literæ simplicibus sonis significandis, necesse est profectò in omni lingua, vt quidẽ commodè scribi possit, totidem omnino literas exstare, quod sunt eius soni simplices. Alioquin siue plures siue pauciores fuerint, & scriptioni & pronuntiationi magnas tenebras offundi necesse fuerit. Idque sollicitè Græcos obseruasse, vel hoc vnum satis ostendit, quod inter Elenchos Aristoteles nullam ex literis fallacem conclusionem numerat, quàm nihil possit frequentiùs occurrere, si vni literæ duplicem sonum, vel contrà vni sono duas literas tribuetis. Simplices igitur Græcæ linguæ sonos sexdecim, totidémque necessarias literas esse, ex eo apparet, quod ex reliquis octo qui totidem literis scribuntur, alij sint compositi, alij suapte natura idem cum compositis.

Sexdecim antiquæ Cadmi literæ ex Phœnicia in Græciam illatæ, & totidem sonis simplicibus exprimendis repertæ sunt hæ α β γ δ ε ι κ λ μ ν ο π ρ σ τ υ. Nam aliæ præterea octo illis additæ sunt partim à Palamede, partim à Simonide, videlicet η ω ξ ψ θ φ χ: quod nulla quidem necessitate factum est, sed maximo tamen cum fructu, vt scriptio minus esset laboriosa, magisque compendiosa.

His ita se habentibus, hoc sit pro certo positum & constitutum, quod nemo negare sanè potest, hasce literas α δ ε θ ι λ μ ν ξ ο π ρ σ τ φ χ ψ sonuisse olim quemadmodum nunc sonant, & ab omnibus citra controuersiam ferè rectè pronuntiari. Itaque breuiores erimus in earum pronuntiatione pertractanda. Illud solùm obiter admonendum, corruptam hanc qua vulgò vtimur pronuntiationem id nobis inuexisse, vt in earundem quibusdam nomenclaturis & appellationibus potius quàm sono turpiter peccetur, dum pro mu mi, pro tau tai dicitur: atque ita in nonnullis aliis. Porrò has β γ ζ η κ υ ω non solùm vulgus, sed & docti plerique, recepto & pertrito vsu vel abusu potius & peruersa consuetudine, ita absurdè proferunt, vt non solùm nomen amiserint, sed etiam veræ & genuinæ pronuntiationis nihil planè referant, atque adeò alium prorsus iam sonum induerint: quemadmodum ordine alphabetico suo loco infiã declarabimus.

Α, α, a.

ΑΛΦΑ. Alpha, ex Hebræo nomine Aleph, deinde alepha, & per syncopen alpha, nomen habet. Sono respondet A Latinorum id enim vertitur: debéque in imo gutture pronuntiari clarè, & ore prorsus hiante.

Ἀγρός, ager.

Ἀργὸς quasi ἀεργὸς, otiosus, iners.

Β, β, b.

ΒΗΤΑ. Bêta, vulgo laxius quàm b Latinum profertur, ita vt u consonantem referatque inepte & contra vsum venerandæ antiquitatis. Nunc enim βίβλος pronuntiant uiblos: quo vitio perpetuo laborat in Hispania Burgensis diœcesis, enuncians βεστια, βεστε, pro *bestia, bestes*: quin eadem adhuc vitium geminat quum præposterè profert *bita, bacca*: pro βῖτα, βάκκα: & βοῦν bunum pro bonum βοῦνον.

Sonanda est vt prior syllaba Gallicæ dictionis *beste* seu *bête*, quæ bestiam significat.

Ab Hebræo Beth nomen habet, addita formali litera α.

Eustathius in Homerum β (inquit) μιμητεὸν τὸς τῶν προβάτων φωνὸς & alto loco βῶ βῶ φωνὸς προβάτων εἰκαζόμενον. Citatque hunc Cratini versum qui est apud Ælium Dionysium:

Ὁ δ' ἀλιβεῖν ὥσπερ πρόβατον βῶ βῶ λέγων βαδίζει.

Quod ita proferendum est,

*Hod elibiou hoosper probaton bee bee legon badizei.* Hoc est, Is autem fatuus tanquam ouis bee bee, sonans badizat, id est, incedit, vadit, iuxta illud Plauti in Asinaria: Demam hercle iam de hordeo tollutim, ni badizat.

Quid multis? ipsius literæ Β figura quæ Græcis & Latinis eadem est, satis indicat eam apud vtrosque eandem habere vim, potestatem, & sonum.

Γ, γ, g, & ϝ siue F digamma Æolicum.

ΓΑΜΜΑ, siue vt Iones appellant, Gema, de quo docti minus laborant. Sonant vt G Latinum: & ab omnibus ferè rectè pronuntiatur ante pleraſque consonantes, vt ἀγδόος, γλῶσσα, ἀγμός, γναφεύς, ἀγρός: & ante vocales α ο υ, γάμος, γονεύς, γῆ: sed ante reliquas vocales vulgò vitiosius & effœminatius profertur: tunc enim nouum huic literæ sonum quendam tribuunt, cum i consonante [vt quidem vulgò profertur] commutaem itaque pro γηραλέος, legunt *ienaleos*: quum vbique deberet masculum illum, & per omnia similem seruare sonum, medium, inquam, inter tenuem & aspiratum, quem perpetuò adhibent Germani, nec in coniugatione λέγω, λέγεις, λέγει, vel alibi, vllo modo variant, quascunque tandem coniugat eam præcedente vel subsequi literas. Certum enim est i consonantis sonum à Græcis nunquam fuisse vsurpatum, sicut ἰῶτα dicemus. Deinde vni literæ duplicem sonum tribuere non potes, quin Græcos fateatis literarum inopia laborare, quod ne verisimile quidem esse potest. Eodem igitur sono tam Græcis quàm Latinis hæc litera pronuntiari debet, quæcunque tandem vocalis sequatur, eo scilicet quem integrum retinuit inter a & o.

Ab Hebræo nomine *Ghimel* longius Gamma necessitatende digamma Æolicum appellatur, quòd duplicis Gamma imaginem referre videatur, de quo plura in φ.

Δ, δ, d.

ΔΕΛΤΑ, Delta, à nomine Hebræo Daleth, siue Deleth.

Sonat vt nostrum d.

Ab eius figura astrum δελτωτὸν nuncupatum est, quod est signum in cœlo supra arietis caput positum, δελτοειδὲς, hoc est triangulari figura, Δ literæ imaginem referens, à qua etiam nomen

men habet,duobus æquis lateribus,vno breuiori, in vno quoque angulo stellam habens.

E ε,e breue.

ΕΨΥΛΟΝ,id est, exile seu tenue,peculiare nomen non habet.Nam Hebræis nulla est litera quæ huic respondeat.

Vna est ex iis quatuor,quas Plato in Cratylo scribit à Græcis pronuntiari, quum reliquæ non enuntientur, sed tantum ipsarũ nomina,vt Alpha,Betha, & cæteræ omnes literæ præter ο,ω & υ. Ex his autem Platonis verbis liquet, epitheton illud quo psilon vocatur,id est,tenue, postea adiectum esse,quum inter ε & ει distingui & illud quidem inter literas, hoc verò inter diphthongos numerari cœpisset.Veteres enim primo hanc literam ει vocabãt, sicut ostendit Plutarchus in eo libello quem inscripsit περὶ τοῦ ει ἐν Δελφοῖς, & post eum etiam Eustathius Iliad.ε.Item Nigidius apud Gellium lib.19.cap.14.meritò quidem in eo Græcos reprehendens.

Pierius dicit ε graui esse sono,ac tum demum exaudiri,quum spiritus aliquando inferius contrahi videtur, & suppresso quodammodo sono enuntiatur:ψιλὸν verò acutum habere sonum, quum ad aperta vsque labra porrigitur, & vocaliore sono se prodit.

Cauendum autem in primis ne ε literam vel αι diphthongum pronuntiamus vt eineque incidamus in vitium orationis effœminatæ,quod vocant Grammatici πολυψιλόν: vt inferius in ε & αι ostendemus.

Ζ,ζ,z.

ΖΗΤΑ,zeta non zita:id autem opposuimus Tsade Hebræorũ, non zain. Neque enim pronuntiari debet sicut hodie à Gallis s litera efferitur,quum est inter duas vocales media, neque etiam vt duplex ss,sed vt d:,qui sonus est suauissimus, & à Latinis nunquam satis rectè exprimi potest.

Quintilianus lib.11. iucundissimas esse testatur apud Græcos ζ & υ,quibus, inquit, nullæ apud eos dulcius spirant, & subdit, quas mutuari solemus quoties illorum nominibus vtimur. Quod quum contingit,nescio quomodo illa ipsa protinus reddit oratio,vt in zephyris zopyrique,quæ si nostris literis scribantur,sordidum quiddam & barbarum efficient, & velut in locum earum succedent tristes & horridæ,quibus Græcia caret: Hæc Quintilianus.Contrà Martianus Capella refert Appium Claudium idcirco hanc literam reformidasse,quòd dum exprimitur, morientis dentes imitetur: hinc factum vt quidam non omnino malè eam cum stridore quodam pronuntiandam censeant. Cæterùm quòd omnes asserunt Græci Grammatici, nimirum non ds (vt diximus)sed sd valere, hoc mihi quidem probari non potest. Nam primùm omnium debet inter tres duplices eadem esse analogia. Cæteræ autem non valent κκ vel σσ,sed κσ,vel κσ. Deinde vbi illa esset huius literæ suauitas, qua Fabius testatur nullam dulcius spirare?

Romani,qui peregrinam ζ inter suas adscriuerunt,eam aliquãdo duplici ss reddunt:πατρίζω patrisso,μάζα massa.

H,η,e,siue ē longum.

ΗΤΑ,Eeta ab Heth densissima Hebræorum consonante nomẽ traxit.fuitque olim nota aspirationis,vt declarat Atheneus lib. 9. his verbis.Οἶμαι δ' ἐγὼ καὶ τὴν ἡ φωνὴν τυπῶσαι, ὅμοιαν τοῖς παλαιοῖς τοῖς δ' ἀττικοῖς δ' ὅσοις ἐν Ῥωμαίοις καὶ πᾶσιν τοῖς δ' ἀσκουμένοις ἐν μάτων ἡ προσγραφή.id est,veteres arbitror H elemento aspirationem formasse,quamobrem etiam Romani omnibus aspiratis nominibus h præscribunt.

Ideóque in notis numerorum antiquitùs apud Græcos H, ἑκατὸν,id est,centum designabat, quod prima esset eius vocis litera, quam tunc sic scribebant HEKATON. Quia verò Græci hanc aspirationem non supra ponebant, sed ipsi lineæ inserebant, hinc ortus est magnus error. Quo factum est vt cœperint eam supra ponere,ac tandem illam discere int,hoc pacto H,ita vt anterior pars significaret spiritum asperum,posterior lenem,quibus adhuc vtimur in literis grandiusculis. in antiquissimis Heracleensium numismatis,legitur ΗΡΑΚΛΕΩΝ & ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ, præpositio in ipso contextu spiritu aspero.

Eam autem notam postea pro ε longo Græcia vsurpauit, vt disertè testatur Plato in Cratylo his verbis,ὥστε οὐδὲ ἐχρῶμεν ἀλλὰ τὸ παλαιόν,id est,ε enim non vsurpabamus olim,sed ε.Idipsum Ausonius poeta de literis Græcis & Latinis, hisce versibus, qui subnuntii videntur,confirmat:

*Hē quod Aeolidum quodque valet hoc Latiar E:*
*Præsto quod E Latium semper breue Dorica vox E.*

Hæ igitur nullo modo exiliter pronunciandũ vt ἰῶτα, qui cum nihil commune habet sed e obliquo vastóque quodam sono, medio inter α & strictu minus diducto quàm α,hiantiore tamen ac minus in ima depresso sono,quam ε.Hinc fit vt Græci δημοσίνια τείχεα,in δημόσιον,τεῖχος contraxerint: vt vbicunque ferè εα incidit, in ε contrahunt.

Legatum iurisconsulti Græci λεγᾶτον: quòd quàm absurdè *legatum* profertur,quis non videt.

Cæsus Iurisc.de verb.signific. Telum,inquit,vulgò quidem id appellatur, quod ab ea cum mittitur: sed nunc omne significatur, quod mittitur manu: Ita sequitur vt & apis & lignum & ferrum hoc nomine contineatur: dictumque ab eo quòd in longinquum mittitur, Græca voce figuratum ἀπὸ τοῦ πόρρω, id est, ab eo quod est longè: quam etiam etymologiam Iustinianus in suas institutiones retulit.

Franciscus Vergara nostri seculi doctissimus Grammaticus, de vi & prolatione literarum sic scribit, ε perinde nunc proferetur ac si esset η longum,quum sit e longũ:ex H per virgulã transuersam intersecta duæ propemodum Ε E fiunt, sic H quas geminas cõtinere dicitur H tam figura quàm etiam tempore, nimirum semper longa,duas semper breues. Atque ita transferitur à Latinis per e longum,vt Δημοσθένης Demosthenes, κρατὴρ crater.

Ex quibus apparet, perperam eos facere qui ε cum ἰῶτα confundunt.

Θ,ϑ,th.

ΘΗΤΑ ab Hebræo nomine Theth, ideóque vocatur theta non vt nunc thita, quia in priore syllaba est η siue e longum, quemadmodum etiam ab omnibus veteribus vocantur *beta,zeta, eta,theta.* Persius satyr.4.

*Et potu et nigrum Gitto præfigere theta,*

Et Martial.lib 7.

*Nostri mortiferum quæsturi Cæsaris signum,*
*Est operæ pretium discere Theta nomen.*

Θ enim funesta illa in capitalibus iudicis litera (quòd dictionem θάνατος inchoet) nota erat condemnationis.

Ι,ι,i.

ΙΩΤΑ,Iota trissyllabum ab Hebræo Iod,ι pro d vsurpato,respondet i Latino.

Cæcilius hanc literam vocat pumilionem, quod omnium & figura & sono tenuissima sit & minima; est siquidem μονόγραμμος. Plato indicat accommodam esse ad exprimendas res subtiles & penetrabiles, quod declarant,vt ait,ἰέναι τε θεῖν, ac similia. Itaque planè aliter sunt proferenda ι υ et ει, quàm ι: ne inter legendum incidamus in ἰωτακισμὸν & πολυψιλίαν, quæ orationem faciunt exilem, eneruem, pipientem & confusam. Neque enim Χειρὸς sonandum vt Χρὸς ἐστὶ neque πιὸν vt κυνόμπαρον longum, vt μικρὸν paruum.

K,κ,K c,q.

ΚΑΠΠΑ, Kappa siue Cappa ab Hebræo Cap seu Caph, valet c nostrum, item k seu q. Ab omnibus ferè incorruptè & rectè pronuntiatur, scilicet vt k non solùm ante consonantes, vt κλέπτου,κλίμα,κνίσα,κράδης,κραπάλη crapula, κρατικτὴρ: sed etiam ante vocales κ ο ω,κελός,κόμη coma, κώμη vicus,pagus,& in fine dictionis ἐκ ex.

Priscianus author est,k & q,quamuis figura & nomine videantur aliquam habere differentiam, cum c tamen eandem tam in sono vocum, quàm in metro continere potestatem, & k penitùs in Latina lingua superuacuum esse, quod ante Priscianum testati sunt etiam Fabius Terentianus,& Fl.Sosipater Carisius. Vnde & in antiquissimis marmoribus legimus *PEQVNIAM* pro *pecuniam.*

Certum est igitur κ eodem fuisse sono quacunque litera sequente,& Κικέρων pronuntiandum esse κίκερρον.

Veteres quoq; Græci quod Latini per q efferunt,per κ reddũt. Quintes Κυϊγ).

Quintus Κύϊντος, alij κοῦντος numismata quædam ΚΟΥΙΝΤΟΣ.

Λ,λ,l.

ΛΑΜΒΔΑ, Lambda, non lamda, ex Hebræo nomine Lamed,& syncope interposito βλάμβδα. Valet l.nostrum.

Græci aliquando η sequente ι, per λ transtulerunt: Manlius Μαλλιος scribentes. Inuenitur tamẽ & Μάλιος apud Plutarchũ.

Ab huius literæ forma λαμβδοειδὲς figura dicta est.

M,μ,m.

ΜΥ,my,hoc est mu per u exile Gallicum, non mi, longius,recessit ab Hebræo nomine Mem: Iones vocant μῶ, idem valet quod Latinum m. Μάμμη auia: hoc etiam infantuli matrem vel nutricem appellant,sicut patrem Tatam.Mart.lib.1.

*Mammas atque Tatas habet Afra sed ipsa Tatarum*
*Dici & mammarum maxima mamma potest.*

Cato,qui cibum ac potionem suas & Papas vocant, & patrem Tatam,& matrem Mammam.

Græcis nulla dictio in eam terminatur, quod & ait Fabius, à quo etiam *mugiens* vocatur, quia mugitum edere videtur.

N,ν,n.

ΝΥ,Ny,hoc est Nu per u exile,ab Hebræo Nun, abiecto vltimo n. Sonat n Latinum, debétque linguæ mucrone intimos dentes & palatum feriente enuntiari, siue syllabam inchoet siue claudat,apud Græcos præsertim.

Ξ,ξ,x.

Ξ Lxi ab Hebræo Schin ductum videtur:Latini nomen inuertimus,ix dicentes. Valet cs vel gs, quod ex obliquorum analogia apparet. Dicimus enim φοίνιξ φοίνικος, & ἄνυξ ἄνυχος. Interdum tamen κ in obliquis aspiratur, sed præter recti naturam. Nam inter κ & σ locus adspirationi nullus esse potest. Itaque quamuis dicamus θρὶξ τριχός,minimè tamen existimandum est ξ in θρὶξ valet χσ.

Ο, ο, o breue.

ΟΜΙΚΡΟΝ, o paruum, & ipsum quoque vt ait Plato, à Græcis pronuntiatur, peculiaremque nomen non habet. Nam Hebræorum nulla litera est huic respondens.

Latini, Græcorum suo u expresserunt, vt ὀδυσσεύς Vlysses. Talis est etiam apud Romanos cognatio u cum o: vpilio, opilio. Atque etiamnum hodie magna Galliæ Lugdunensis pars sic o pronuntiant vt ou intelligas. Narbonensis contrà ou mutat in o. Sed rectius omnino fecerunt recentiores, qui o ab u diphthongo & appellatione & scriptione distinxerunt. Debet enim o intra palatum ore rotundo enuntiari, quod & ipsa figura indicat, vt o breue.

Π, π, p.

πῆ, Pi, ab Hebræo Pe nomen habet, sonat P. Latinum.

πατὴρ, patet, German. Vatter seu Fatter, per digãma Aeolicũ.

P, ρ, rh, r.

ΡΗΣ. Rhoo per o longum ab Hebræo Res longius remotum nomen habet. Valet r nostrum.

Apud Græcos perpetuò initio aspiratur.

ῥυτὴρ defensor, Belgis ruter, id est, eques miles.

Et in medio dictionis geminatum: prius tenue est, posterius aspiratum vt πύῤῥος purrhos.

Σ, σ, s.

ΣΙΓΜΑ. Sigma, à Sameech Hebræo.

Dores San vocant, sicut Herodotus & alij testantur. Sonat s Latinum.

Σῆμα apud Lucianum actione instituit aduersus ταῦ, constituens iudicibus septem vocalibus, conquerẽs sese abs ταῦ pluribus dictionibus spoliari. (tera.

Pindaro αἰῤῥάλεω vocatur hoc est, adulterina & non vera li-

Messala Coruinus vocat sibilum.

Malè autem infracto sono & sicut zain Hebræorum pronuntiari solet quotiens vel in eadem vel in diuersis dictionibus reperitur media inter duas vocales. Sic enim causa pronuntiant, ac si Cauza scriptum esset.

Priscianus: S sæpè pro aspiratione ponitur in his dictionibus quas à Græcis sumpsimus, vt semis, sex, septem, se, sal. Nam ἡμισυ, ἕξ, ἑπτὰ, ἑ, ἅλς apud illos aspirationem habent in principio.

Τ, τ, t.

ΤΑΥ, non taf, sed tau, quomodo nautæ littoris Belgici sonant τάυ, quod denotat funem nauticum. Apud Hebræos idem nomen habet. Valet t Latinum.

Τάνταλος, Antonios, πάντα, panta.

Non (vt habent neotericorum Grammaticorum inuenta) Tandalos, Andonios, panda: quum t ante n, ne Latini quidem respuant.

Υ, υ, y, siue u tenue.

ΥΨΙΛΟΝ, y, hoc est, u tenue, gracile, siue exile, (Vergilius literam Pythagoræ vocat) simplex nomen non habet, nec Hebraica litera est quæ huic respondeat.

Valet y, quod à Græcis mutuati sunt Latini.

Cuius sonus medius est inter i & ou, & tam Græcè quàm Latinè vt u Gallicum enuntiandum est, non vt i.

Q. Terentius Scaurus ay, Y literam superuacuã Latino sermoni putauerunt, quoniam pro illa V cederet: sed quum quædam in nostrum sermonem Græca nomina admissa sint, in quibus euidentet sonus huius literæ exprimitur, vt hyperbaton, vt hymnus, & hyacinthus, & similia, in eisdem hac litera necessariò vtimur.

Terentius dixit, An in astu venit, pro ἄστυ, hoc est ciuitatem.

Iurisconsulti nostri Senatusconsultum Tertullianum & Tertylianum dicunt; quod inde accidisse verisimile est, quia quum Romani destituerentur voce υ, nec haberẽt literam quæ omni ex parte ei responderet, defleserunt ad vocem proximam, pro υ, sonantes u, quod etiamnum hodie euenit Italis & Hispanis Belgicè vel Gallicè loquentibus. Nam pro bureau, id est, foris dicunt bouteau, pro muraille, mouraille: hoc est pro βυτ & μυρ βυτ & μυρ.

Φ, φ, ph f, in consonans digamma Aeolicum.

ΦΙ. Phi, nomen habet ex Hebræo Phe, quod & Pe dicitur, respondet f Latino, id est, τῷ δίγαμμα Aeolico, vt nunc quidem efferitur.

Priscianus, f verò τῷ δίγαμμα sono enuntiabatur, ita scilicet vt nunc u consonans, eràque is sonus solis inter Græcos Aeolibus peculiaris. Sed postea in eius locũ successit a consonãs, ipsum verò digamma f in locum p aspiratis quod tamen in vocabulis Græcis seruatum est. vt in Philosophia, Philomela, Sophista, & multis eiusmodi. Pauca tamen excipiuntur, vt fama φήμη, fuga φυγὴ, fagus φηγός, fur φώρ, & alia præterea nonnulla quæ vsus obtinuit vt per f scriberentur, quamuis Græca sint. Hæc igitur causa est cur Cicero pro Fundanio (sicut annotat Fabius) testem irriserit qui primam eius literam dicere non posset. Quum enim esset digamma, Græcus ille testis vel eius literæ sonum ignorabat, à solis scilicet Aeolibus inter Græcos vsurpatum, vel certè pronuntiabat vt etiamnum hodie Germani solent per u consonantem.

Idem ad Atticum lib. IX, fundum suum Formianum vocat digamma, quod nomen eius ab F litera initium sumeret, cuius figuram & sonum repræsentat: eóque Græci vtebantur initio dictionum à vocali aspirata incipientium, οἶνος, Fοῖνος, Heuen. Veneri itémque in medio, si vocalium concursus erat, ΩΟΝ ΩΦΟΝ dicentes, vnde nostrum Ouum & ΟΙΣ & ΟΦΙΣ. Vnde Ouis: ΒΟΟΣ ΒΟΦΟΣ Bouis. Sed præstat Terentiani Mauri Grammatici antiquissimi & grauissimi versus huc adferre:

*Nomenum multa inchoata literis vocalibus*
*Aeolicum vsum vertit, digammen præficit:*
*Aeolica dialectos autem mista ferme est Italæ:*
*Hesperum quum dicu Graece Vesperum cognominat.*
*Et sic Vesta facta, Vestis nõ ne dicitur,*
*Ita quem Graeci vocamus, Vinum iubet me dicere.*
*Nap est multu in vsu, & magn potiacum est,*
*Np enim natiua vox est ille Verbis delitat.*
*Quos Homerum dixit Eurus alle Venetos autumat,*
*Et vela flos nunupatur, quem Graij vocant ἴον,*
*Et Iulam ille Veiens, crede Marco Tullio.*
*Quamque ἰτέαν dicunt Aeolis, hanc Vetym gens Aeoli,*
*Plura Sappho comprobauit, Aeoles, & cateri.*

Χ, χ, ch.

ΧΙ. Chi, apud Hebræos nihil habet cui respondeat. Nomen formandum est ad modum ψῆ, φῆ, ῥῆ. valet ch, seu c aspiratum profertur enim ceere è gutture erumpente.

Χάλυβες Calybes, χάος chaos, & huiusmodi alia.

Ψ ψ, ps, bs.

Ψ I, psi ab Hebræo etiam nomen non habet, sed ad formam ξῆ, πῆ, ῥῆ nominatum est. Sonat vt ps, & aliquando vt bs.

αἰθίοψ αἰθίοπος, ethiops, ψαλμός, psalmus, ἄραψ ἄραβος, Arabs.

Ω, ω, o o siue o longum.

Ὦ μέγα, id est, o magnum, ita vocatum est ex collatione cum altero quod μικρὸν dicitur. Est enim re vera magnum, siue quantitatem spectes, quum sit natura longum, siue figuram, quum sit veluti ex duobus co conflatum ex veterum consuetudine, qui (vt inquit Fabius) ante repertam temporis longi notam vocales productas in scribendo geminabant. Valet autem o longum, proferendúmque vt oo dupliceatum, non ictu vocis, sed productione, eodémque planè modo pronuntiandum βρῶτον, id est, cibus, vt Belgis broot, hoc est, panis, à Græco deductum.

Ex his xxiiij. literis, Vocales sunt septem, id est, quæ per se possunt plenam vocem edere, α ε η ο υ ω. Breues duæ, ε ο quibus respondent totidem longæ η ω contractæ ex duobus breuibus, solãque quantitate ab iis differentes. & tres ancipites siue communes, id est, in quibusdam vocabulis longæ, in quibusdam breues, in paucis indifferentes. Priscianus, Vocales, ait, apud Latinos omnes sunt ancipites vel liquidæ, hoc est, quæ facilè modò produci, modò corripi possunt. Sicut etiam apud antiquissimos erant Græcorum ante inuentionem η & ω: quibus inuentis quæ ancipites erant, remanserunt perpetuò breues, quum earum productarum loca possessa sint à prædictis vocalibus semper longis. Hæc Priscianus. Quod hac ratione factum esse aiunt, quia vetustissimi illi, si quando syllabam vellent producere, debebant eandem vocalem bis pingere, ΔΕΕΜΟΣ pro ΔΗΜΟΣ, ΑΝΘΡΟΟΠΟΣ, pro ΑΝΘΡΩΠΟΣ. Postea Simonides Melicus ex duob. ΕΕ, inuertit alterum, hoc modo ΕΗ, deinde ea coniunxit ac effecit vnum Η, quam etiam notam adspirationis fuisse ostendimus. Hinc à Βηλ, (vnde in Euangelio Βεελζεβὺλ ὁ ἄρχων δαιμονίων,) Belus Græcis Βῆλος, primus Assyriorum rex, Ninipatrisque vita functo templum erexerunt Babylonij, diuinisque eum honoribus sunt prosequuti. Sic etiam duplex oo vniuit Simonides, hoc modo ω.

Ancipites autem ferè certam habent quantitatem, quanquam apud Græcos in iisdem dictionibus interdum variant iuxta illud Martialis.

*Et quos ἄρτος ἄρτος decet sonare.*

Et illud Theocriti, -ἦνῷ ἔρωτι

πολλάκις ὦ Πολύφαμε, τῷ μήκυλα, καλὰ πέφανται.

Id est, *O Polypheme,*

*Qua minime sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.*

Sed præstat hanc rem Terentiani Mauri trochaicis versibus illustriorem reddere:

*Ergo Graecis esse septem scimus è vocalibus*
*H & Ω, quæ bina pedibus subministrant tempora.*
*E & O breues vocari singularis temporis,*
*Cateras tres quæ superfunt διφθόγγους cognominant.*
*Corripi quod sæpe eadem sæpe produci valent.*
*Ἄλφα primùm est, inde ἰῶτα, tertium quod υ vocant.*

Et paulò post:

*Literam namque E videmus esse ad HTA proximam.*
*Sicut O & Ω videntur esse vicina sibi.*
*Temporum momenta distant, non soni natiuitas.*
*Vnde fertur hanc in HTA sæpe diphthongum Graij,*
*Quanda quos ἱππεῖς solebant aut ἀχαιοὺς dicere,*
*Longant, ἱππῆς quæ potius aut ἀχαιῆς nominant.*

Nõ igitur

*Nusque Medéam Latinè sic in usum vertimus.*
*Nomen & Regina gessit quod furens Amazonum.*
*Sic & divisus Abam noster AEneam vocat.*

Sed & Martianus Capella dicit e Latinum duarum literarum Græcarum vim possidere: quum breuis est, η, vt hostis: quum longa est, η, vt dicendémque modo de ω statuendum esse. Et in hoc Virgilij, *Contecuere κοντεκοῦρε*, dicunt esse tum η tum ω: primum namque ε, η est, alterum verò, ο est. In illo autem *rapti Ganymedis honores*,

O'ωίνος dicunt prius esse ο, posterius verò ω esse.

Reliquæ literæ vocem non edunt, ideóque à Platone in Cratylo & Theæteto generali vocabulo ἄφωνα vocantur, id est, vocis expertes: à Grammaticis verò σύμφωνα, id est, Consonantes, quòd cum vocalibus adiunctis sonos suos communicent. Sunt autem numero xvij. β γ δ ζ θ κ λ μ ν ξ π ρ σ τ φ χ ψ.

Ex quibus sunt ἡμίφωνα, id est, Semiuocales octo: sic dictæ, quòd, vt nullas habeant vocales adiunctas, quandam tamen strepitus & soni speciem edant, ζ χ ψ λ μ ν ρ σ.

Ex his sunt διπλᾶ, id est, dupices tres, quòd duarum literarum sint compendia ζ ξ ψ.

Υγρά, id est, liquidæ quatuor, quòd ita sint lubricæ, vt quasi liquescant in pronuntiando, λ μ ν ρ. Eadem etiam ἀμετάβολα dicuntur, id est, immutabiles, quòd in formationibus casuum vel temporum non mutentur.

Mutæ δ' ἀκὸν, id est, solitarium, vnum, σ, quod ab aliis ἄτυμον, h. e. sine signo, vel ignobile vocatur.

Cæteræ nouem appellantur ἄφωνα, id est, Mutæ, quòd per se neque vocem vt vocales, neque strepitum edant vt Semiuocales, β γ δ κ π τ θ φ χ.

In aspiratis autem primùm omnium vetus error ille corrigendus videtur, quo nonnulli iampridem has literas pro aspiratis asperas nominant, quùm potius densas & crassas vocare oporteat. Neque enim à Græcis σφοδρὰ γράμματα, sed δασὺ dicuntur: quòd copiosiorem spiritum requirant, vt sit earum opima & quasi adipalis pronuntiatio. Quamobrem etiam literas alias oppositas non lenes, sed ψιλὰ, id est, tenues & exiles appellant. R potius litera est aspera, & l contrà admodum lenis: sicut Ouidius his versiculis optimè declarat de Remuriis loquens, quæ postea Lemuria dicta sunt:

*Aspera mutata est in lenem tempore longo*
*Littera quæ Remo nomine prima fuit.*

Itaque à Græcis initio dictionum, & si quando geminata occurrerit, addito spiritu denso lenitas tantum abest vt rectè faciat qui densum cum aspero confundunt.

Hoc loco obiter adnotandum, omnia ferè vocabula in quibus apud Latinos inueniuntur ζ θ υ φ χ, Græca esse, aut à Græcis deriuata, saltem non Latina vt Gaza, baptizo, thalamus, ocyus ab ὠκὺς, lachrimæ, philtrum, Christus. Quocirca vulgò peccatur in orthographia dictionum charus, sepulchrum, simulachrum, & similium: quum scribenda sint sine aspiratione, carus, sepulcrum, & simulacrum. Fiunt enim duo superiora à supinis sepultum & simulatum, vt ab inuolutum inuolucrum, à fultum, fulcrum, à lauatum lauacrum, ab ambulatum ambulacrum mutata t in c, & addito r. Testatur Seruius in iij. Georg. veteres scripsisse sepulchrum: post abiectam esse aspirationem: eius verba sunt hæc: Tria veteres habebant nomina in quibus c literam sequeretur aspiratio, sepulchrum, orchus, pulcher: quibus pulcher tantum hodie recipit aspirationem. Quid apertius? Pulcher certè in veteribus inscriptionibus & nummisatis sæpius inuenitur, quàm pulcer. Et hæc quidem habuimus hoc tempore quæ de literis & germana earum pronuntiatione diceremus. Libuit autem quosdam Euripidis valde artificiosos & festiuos versus ex Atheneo subicere: ex quibus cognoscere liceat antiquas quarundam literarum formas. Apud Euripidem igitur in Theseo pastor quidam literarum imperitus, literas tamen quibus Theseï nomen scribitur, sic depingit.

Κἀγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἰδὲς,
Μεμφὰς δ' λίξω ὡφὸ τειμήεσα
κύκλῳ τις ὡς ὄφεοσιν ἐκμιμημένῳ, Θ
Οὕτω δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ ὡφός.
Τὸ δ' δεύτερον δ' πρὸς ὀρθὸν μὲν γραμμαὶ δύο, Ι
Ταὐταὶ δ' ἐείρεν δ' ἐν μέσαις, ἀλλὴ μία.
Τρίτον δ' βοστρυχός τις ὡς εἰλιγμένος. C
Τὸ δ' αὖ τέταρτον ὡς μὲν εἰς ὀρθὸν μία. Ι
Λέξαι δ' ἐκ αὐτοῦ τρεῖς κατεστρεγμένοι
Εἰσὶν. Ὁ πέμπτον δ' ἐκ τοῦ δύο μακρὰ φράσαι,
Γραμμαὶ γὰρ εἰσὶν δ' ἰσοῦνται δύο,
Αὖ δ' συμπέζωται εἰς μίαν θέσιν.
Τὸ λοιπὸν δ' τῷ τέτρατον παρεμφερές. C

Quos versus ita reddit Natalis Venetus.

*Quum litterarum non peritus ipse sim,*
*Dicam figuras signaque euidentia.*
*Est circulus tortu Draconis facti ut bene.*
*Signumque habens in ventre quod clare patet.*
*Binas secunda forma lineas tenet:*
*Disjecit has medio insidens mox altera.*
*Cincinnus inde tertius ipsa tertia.*
*Subit figura quarta, recta linea.*
*Tres incidentes diuidunt hanc lineam.*
*Quinetiam minus promptum sit ipsam dicere,*
*Sed differentes lineæ inter se duæ.*
*Quæ conuenient ambæ simul in vnam basim.*
*Extrema differt nil figura tertia.*

De literis quidam Latinis acutè admodum & breuiter his versibus lusit Quintianus Stoa Martianum Capellam imitatus.

A *sub directo memorabile oris hiatu est.*
B *simul inclusis profertur dentibus labellis.*
C *linguam adpulsa compellit ad vsque molares.*
D *cogit superos linguam contingere dentes.*
E *paulum pressa profertur gutture lingua.*
F *labrum inferius superis cum dentibus vrget.*
G *palatum extremum quum tangit lingua palatum.*
H *oritur tractis quum ventus faucibus halat.*
I *linguam impellit collida dentibus imus.*
K *faucet formans med. a cum parte palati.*
L *facit extremum contingens lingua palatum.*
M *quum fit, pressum premitur per vtrumque labellum.*
N *lingua adpulsa collidit litera dentes.*
O *venit exeritur quum spiritus ore rotundo.*
P *datur eruptis tertia litera quinta labellis.*
Q *fit in adpulsu quum stringimus ora palati.*
R *facit vt superos crispetur lingua repulsu.*
S *quum fit peragit e collisa sibila dente.*
T *linguam impulsu contactat dentibus exit.*
V *facit os strictum sic promula labra fatigat.*
X *reddit quidquid, atque i formare videmus,*
Y *psilon apprensis labris procedere iussum est.*
Z *eta sepulchrales imitatur concita dentes.*

Hactenus de literis.

*De syllabis deinde de diphthongis.*

Ex literis constituuntur syllabæ. Syllabam autem vocamus docendi causa, spiritus comprehensionem ad vnam vocem exprimendam. Est autem in triphthongi differentia. Constat enim vel ex vna vocali vel ex duabus vocalibus in mixtam vnam vocem coeuntibus vel ex consonante vna, vel pluribus cum vna vocali aut duabus ad summum.

Primi generis syllabæ quinque sunt, quot scilicet vocalium sonitum η & ω non voce, sed vocis quantitate differunt ab ε & ο.

Secundi generis diphthongi: id est, geminatæ appellantur quòd ex duabus vocibus tertiam vnam efficientibus componantur.

Tertij generis syllabæ ex consonantium & vocalium multiplici connexione penè sunt infinitæ, quas enumerare minimè necesse est.

Diphthongus autem ita solet definiri à Grammaticis, vt sit syllaba ex duabus vocalibus sonum suum retinentibus conflata, ita dicta quòd duos φθόγγους, id est, sonos efficiat. Sic Terentianus Maurus: *Vnde diphthongus eas*

*Græca dicunt magistri: quod duæ iunctæ simul*
*Syllabam sonant in vnam, sicque geminæ prodita.*

Ego verò malim dicere, In vnam maxim vocem coëuntibus (nam alioqui quando distinctæ sunt vocalium voces, duæ syllabæ nascantur necesse est) aut hoc certè addiderim definitioni, Quæ raptim & vno spiritu proferri possunt.

Diphthongi sunt duodecim, nouem propriæ, tres impropriæ, quod pace Grammaticorum dictum velim, qui totidem proprias quot improprias numerant.

Propriæ dicuntur, quòd postulet eas naturalis prolatio, hoc est, quòd duæ vocales, vt integrè scribuntur, ita integrè pronuntiantur, vel quòd vna eadémque syllaba geminæ vocalis sonum edat: αι ai, non e, αυ au, non aff, ει ei, non i, ευ eu non ef, οι, oi, non ι, ου ou, vel υ ui, non i, ου vel oeu, non if, ου oou, non of.

Ex quibus hodie vulgo sola αυ rectè pronuntiatur, cæteræ omnes deprauatè. Tres verò posteriores hactenus inter improprias numerantur.

Impropriæ siue abusiuæ diphthongi sunt, quæ contra veram rationem & definitionem diphthongi & scribuntur & proferuntur: hoc est, quando prior solùm vocalis integrè pingitur & enuntiatur, & ι subscriptum non exauditur: hic vocatur, quòd naturalis pronuntiatio ipsas non requirat. Nam vt simplices vocales efferuntur, nec compositam vocem edunt, ᾳ α ι ᾳ, non α, ῳ ο ι ῳ, non ο.

*De diphthongorum propriarum sono in genere.*

Qui duos sonos in diphthongis non agnoscunt, quomodo illas diphthongos existimare possunt? quomodo enim à vocabulis sono distant, si simplicem aliquem sonum adferunt? diphthongus enim non scriptura, sed voce cernitur: alias non diphthongus, sed digraphus est. Cur autem quum diphthongi omnes propriæ definitione diphthongorum contineantur, quædam duos sonos, vt αυ ου ευ ηυ ωυ, quædam simplicem habent, vt αι ει οι υι? At id sanè, si diphthongus aliquid sit, & si

quid diphthongus à vocali distet, verum esse non potest. Et quum vsus in diphthongorum numerum istas retulerit, cur abusus dimidiam & meliorem soni partem ab illis auferet? Detur hoc vsui vt diphthongos faciat, vocales faciat, syllabas faciat: sed hoc date vsui nemo potest, vt quamuis diphthongum eam faciat, illud ab ea auferat quo diphthongus fit. Eximantur igitur è numero diphthongorum, si nihil in sono cum diphthongis habent commune. At Quintilianus quærendum putauit, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, quum consonantium nulla nisi alteram frangat. Sed hoc est pati illas minimè in se ipsas coire, si alteram extrahas, & obtorto collo illam à sonando rapias, ne sonus è duabus vocalibus in seipsas coeuntibus collectus efferatur. Sin in sonando nihil altera vocalis adiuuet, tum non modò tuta frangitur, sed etiam consumitur. Igitur vt diphthongus fiat, copulatio non modò literarum, sed sonorum fieri debet, ne videlicet, quo cæteræ linguæ omnes abundant, eo Græca & Latina lingua destituatur.

Diphthongi autem quum minimè simplices voces, sed compositæ & diuisibiles sint, in varios sonos tribui possunt. Quomodo enim διαίρεσις talis diphthongorum esset, nisi diphthongus coitionem illorum sonorum antea habuisset: vt φαῖς παῖς. Aut quomodo συναίρεσις fieri aliquorum potest quæ non antea seiuncta separatáque voce erant? vt βοαυλοῖ βουλεῖ, εἶς, εἷς. Videmus autem vt Iones sæpe ex αι reiciant ι, & ε in ει & οι diuidant. Sequitur ergo vocalem præpositiuam æquè proferendam vt subiunctiuam. Nam si res diuisas vocésque diphthongorum separatas pronuntiamus, quid ni eadē coniunctas? Quid? Itáne illarum natura dissentiens est vt ad societatem soni adduci non possint? At quare tantopere in Græca lingua dissentirent, quum in omnibus tam aliis linguis cum suauitate vsurpentur? Nō igitur ita natura hoc fit, neque aurium causa: quia si in re consisteret, in nulla lingua hoc fieri posset. Sin autem ab eo abhorrent, cur in patrijs linguis cum voluptate audiuntur, vbi aures omnium & peritissimæ & delicatissimæ sunt? Et quoniam in Græcis diphthongorum sonis vel ι subiungi necesse est vel υ, vt verè Terentianus dixit, nos quoque elaborabimus vt istarum literarum sonus subiungatur, non coniungatur. Non enim ibi quicquam subiungimus, vbi nihil antecedit: sed vt subiungatur quod sequitur, necesse est aliquid constituatur quod præponitur. At ι literæ quatuor vocales præponuntur in proprijs diphthongis, & υ quoque quinque vocales quasi duces sont anteeunt, quibus illę vt scriptura sic sono subiunguntur: quod quemadmodum in diphthongis quibus υ subiicitur, est perspicuum. sic in diphthōgis quibus postponitur, esse quoque debet manifestum. Nam in iis quæ ι subiectum habent, vitium in prioribus literis est: in iis quibus υ subditur, vitium in ipso υ est. Nam vna tantum diphthongus ευ nobis pura puta in sono hactenus relicta est.

AI.

AI igitur diphthongus nullo modo sonat vt e, sed planè Latinorum ai respondet, raptim scil. & vno spiritu pronuntiato, vt posit a non respirer, ne duæ syllabæ pro vna audiantur. Hinc Plutarchus in Symposiacis α literam semper præesse cæteris vocalibus, nunquam subiici, & eam in dicendo, quidquid consequatur, sonū suum retinere dicit, ac cæteris simul cum eo sonantibus vti. Neque enim vel posit ι vel υ si ponatur α cum illis conueniet, aut illorum sic ductum sequetur vt ex iis vna fiat syllaba, sed quasi indignabunda litera & sese admodum efferens dominatum quæret semper. at si alteri illarum præponatur, tum subsequente illa & simul sonante vtitur, & syllabas etiam verborum facit, vt in αὔριον, αὐλεῖν, αἷμα, αἷδ' εἴδωμι, & sexcentis aliis. Hæc ille. Quod si εὐεμφωνοῦντι & ἀκολουθοῦντι χρῆται, vt Plutarchus dicit, quis negabit α in eo & ι simul sonare? An eæ literæ dominatum non amittunt, quæ in sono non minuuntur modò & quasi de gradu deiiciuntur, sed prorsus extinguuntur, vt ne minimus quidem eius sensus in aoribus remaneat? Annon idem accidit quum α litera cum ι nullo modo consonat, si neutra harum sonum habeat, sed quoddam peregrinum pro vtroque reponatur? Itaque simul istæ sic sonent, vt consonare & consentire possint. Nunc autem quasi neutra digna sono sit, tertium aliquid, nempe ε pro vtroque adhibetur.

Perdet igitur α dominatum suum & magistratu suo abibit, si in αἷμα, in αἷδ' εἴδωμι, & sexcentis aliis, nihil sonet: sed hoc est imperum facere in magistratum non pati vt munus suum vbi debet opportunè administret. Ex hoc igitur satis probetur α in αι reliquisque locis vbi ponitur sonum suum retinere, & ι cum illo consonare.

Quintilianus etiam αι diphthongum Græcos semper per ai extulisse memorat. Nos ergo nequaquam Græci sumus, qui diphthongum non efferimus.

Et Terentius Scaurus de orthographia testatur priscos Latinos diphthongum æ Græcis literis αι scribere solitos, quam postea mutáriat in æ, sed ita pronuntiárint vt vtraque vocalis exaudiretur: quemadmodum etiam hoc tempore pronuntiari deberet. Hinc in quibusdam numismatis antiquis in auro & argento sculptis videre est, ab altera parte caput Vestæ, & ab altera basilicam Æmiliam cum hac inscriptione, AIMILIA REF. S. C. M. LEPIDVS. vnde multa diuisis syllabis remanserunt. Persius Satyra 6. citat hoc carmen Ennij.

*Lunai portum est operæ cognoscite cunes*

Idem Ennius, *Albai rex longæ.*

Lucretius, *Ignoratur enim quæ sit natura animai.*

Idem. *gelida frider aquai.*

Martialis, *Attonitusque legit terrai frugiferai.*

Vergilius etiam vetustatis amantissimus.

*Aulai in medio libabant pocula Bacchi.* Et,

*Diues equum diues pictai vestis & auri.*

In hoc nempe imitati sunt Græcos, qui ex παῖς, hoc est, puis, faciunt παῖς.

Gellius probat hoc verbum *fenum* non à φαίνειν Græco, vt quidam arbitrantur, sed à fetu ideo venire, quia M. Cato & cæteri eius ætatis fenus & feneratorem sine a sonabant, vnde existimat à φαίνειν illud deduci non posse. At quis non ex hoc videt, in φαίνειν illos α literæ sono vsos esse? nunc per nos æque à φαίνειν ac à fetu venire potest, qui nullam in istis verbis differentiam ponimus, & propter soni confusionem verborum etymologiam agnoscere non possumus. Sæpe enim Grammatici ineptas etymologias adferre nobis videntur, qui distinctionem sonorum non aduertimus. Quòd si in veris sonis conquirendis laboraremus, in veris etymologijs constituendis minus hęteremus. Existimemus igitur, si α semper sonum retineat vbicunque incideritis semper à Græcis αι efferatur si in φαίνειν cæterisque pronuntietur α, debere α in αι diphthongo semper sonari. Cur enim non æquè in Græcis hoc fieret, ac in Latinis, vbi Aias & Achaia dicimus? cur non eodem modo αἰνεῖν & αἰχμάζειν Græcè sonamus? si Germanicis καῖσαρ rectè *Kaiser* vocatur, quid vetat eodem sono à Græcis hoc fieri? aut quare apud Græcos vastus, apud Latinos & alios sublimis sonus est? cur in eisdem verbis tanta sonorum dissensio existit, vt vix cognoscamus eadem esse? Nunc verò quomodo illos versus apud Sophoclem legemus

*αἰαῖ τίς ἂν, ποτ' ἐν τοῖς ἐμοῖς ἐπιθοιμαν*
*τοῦτον ξυνοίσειν ὅστις τοῖς ἐμοῖς κακοῖς*
*Νῦν δὴ πάρεστι κἀμὲ δὴ αἰαζειν ἐμοὶ,*
*Καὶ τῇδε τοῖσδε κακοῖσι συντυγχάνω.* Hoc est,

*ah ai quis unquam putasses sic concinnum*
*Meum concursurum fuisse nomen meum malis?*
*Nunc enim res fert & hic lamentari mihi,*
*Et ter in tales quippe miseras incido.*

Quanquam enim Pindarus sexto Isthmiorum nomen αἰαντος, δοτὸ φαείνοντος αἰαῖ deducat: de cuius volatu auguratus Hercules exauditas suas preces, & futurum esse prædicit vt nascatur Telamoni fortissimus filius. non tamen minus fortasse rectè Sophocles & alij à crebra voce αἰ αἰ, vel δοτὸ ἐν αἰαζειν, quod Theocritus etiam frequens est, deriuant.

Aduerbio αἰ confine est αἰβοῖ, id est, heu, etiam dolentis & indignantis interdum admirantis & gestientis præ gaudio. Quod quidem si *eui* proferatur, quis non videt quàm nullum planè affectum mentis designet?

Quid igitur dubitemus hanc diphthongum αι sic sonare, quemadmodum Raiam piscem, Graium, Aio, Aiaceus, Maiam, Naiades, & cętera eius generis, confuso sono α & ι: nullo autem modo vt ai?

AY.

AY nequaquam af, sed au sonat, quia litera υ, nō est f vel u consonans, sed u Gallicum: non enim diphthongus conflatur ex vocali & consonante. Et quanquam u Latinum sępe sonum ϝ digamma habet, illum non in fine syllabę, sed in principio semper tenet. Temerè igitur hic vitiatus υ literæ sonus nunc in ευ & ου irrepsit. Si autem hoc natura literæ fieret, cur non hoc in υ quoque vsu veniret? At υ diphthongum bene sonamus. Itaque vt reliquæ bene sonentur, idem sonus in reliquis obseruetur. Si enim vocalis consonanti iuncta diphthongus esse non potest (diphthongus enim duarum vocalium copulatio est) iunctus etiam ex vtraque sonus proficisceretur. Quod si altera à vocali abeat, tam non diphthongus, sed alia syllaba erit.

Hic ergo Demosthenis exemplo ne pudeat à canibus diligenter diphthongum ευ cognoscere. Nam Aristoph. poeta dum canem latrantem exprimere vellet, εὐ εὐ dixit.

Terentij fabulam ἑαυτὸν τιμωρούμενον dicimus Heauton timorumenon, non heafton dimorumenon.

Cæterum hic posset fortassis alicui scrupulum iniicere locus Ciceronis, qui est lib. 1. de diuinat. Quum, inquit, M. Crassus exercitum Brundusij imponeret, quidam in portu caricas Canno aduectas vendens, *cauneas* clamitabat: dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caueret ne iter non fuisse periturum, si omni paruisset, quas si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigię, & sternutamenta eruunt obseruanda. Hactenus Cicero: ex quo colligitur ex tempestate vicinitatem quandam soni fuisse in vocibus *Cauneas* & *caue ne eas*.

Ex quibus constat voces καυνέας, & *caue ne eas* pronuntiatione non admodum diuersas fuisse, præsertim quum Romani non *cafneas* sonuerint vel *cafneas*, sed *cauneas*: *caue* autem *cauē*.

EI.

EI diphthongum hodie cum simplici iota confundunt homines etiam eruditissimi, sed errore non minus manifesto quàm periculoso, propter multiplicem vnius soni significandi rationem quum debeat proferri ei, hoc est, vtraque vocalis e & i coniuncto sono exaudiri, sicut in ſeia adverbio adhortantis, Martial. lib. 11.

*Eia age rumpe moras.*

quod Græci dicunt εἶα, ἐᾶ, εἶα. Aristoph. εἶα νῦν. Hei interiectio dolentis siue ingemiscentis, vnde apud Terentium, Hei horsvbi in posteriori etiam sonus diphthongi *ei* exauditur.

Galli diphthongum hanc referunt in *ſein* sinus, *feint* fictus, *plein* plenus.

I longum antiquis Romanis proferebatur vt hæc diphthongus *ei*, hoc est e, & ei inclusum habebat, quod vsitatum fuisse tempore Ciceronis ex vocibus *βίνει* & Latina *bini* constat. Confirmat hoc Quintilianus, dum de ei Latino dicit, duranit diutius vt ei iungendis eadem ratione qua Græci *ει* vterentur. Quomodo autem Latini hoc eadem ratione qua Græci vtebantur, quomodo, nisi quemadmodum tradunt veteres, vbi i longum esset, Valerium semper ei scripsisse, itémque vetustiores Latinos, extaréque in vetustis inscriptionibus hanc scripturam, *Celeberrimei, Sei, proimus*, pro *celeberrimi, Sei, primus*? & Sosipater ait Varronem lib. 6. Epistolicarum quæstionum dicere *Eclogas ex Annalei descripsisse*. Vnde in numismatis antiquis LEIBERTAS, SERVEILIVS, EIDVS, quod Plutarchus εἶδ' ὡς. Plauti comœdia Capteivei, & passim apud authores, queis, omneis, Tralleis, Sardeis, & id genus alia, quæ etiam per I longiusculum & extans solet scribi: OPEIMIVS OPIMIVS, BINEI BINI, EIRONEIA IRONIA, eodem tamen seruato sono ei.

Vnde victorinus de orthographia: Quum verò eadem i, e literæ iuncta esset, non solùm pro longa syllaba accipiebatur, sed nominatiuum pluralem ita scriptum significabat, vt amicei, bonei, doctei, Romanei, & similia. At si per solum i scripta esset, eadem genitiuum singularem faciebat, vt *huius amici*.

Hermogenes autem in dicendi formis, vbi περὶ σημνότητος loquitur, diphthongos & vocales longas hanc formam illustrare dicit, si in finem dictionum cadant, præter *ει* diphthongum. Sin i ipsum per se ponatur, minimè, tum grandem orationem eam facit quæ ea abundat, contrahit enim magis, & ad rictum deducit os, & minimè fauces complet.

Eam verò in lingua Latina hæc diphthongus suauitatem obtinuit, vt quum Sulpitius ex *ei* diphthongo i tolleret, & e plenissimum relinqueret, à Crasso apud Ciceronem lib. de Oratore iij. reprehensus sit, quòd non antiquos oratores, sed messores videretur imitari. Quòd si nos nunc in alteram partem perpetuò peccantes audiret Crassus, mirum ni non messores nos, sed passeres vocaret, qui sic pipitaremus. Cùm nunc ne accusatiuos quidem illos plurales omnes, treis, parteis, scribamus, sed expuncto i cum Sulpitio dicamus omnes, tres, partes. Seruata est tamen in paucis quibusdam vt in hei & queis & poeticis illis, *Iam Galidam Iliones nauem & Orpher Calliopeia*.

Vitiosa huius diphthongi tum pronuntiatio tum scriptio non paucos authorum locos corrupit, virósque alioqui doctissimos decepit. Et, vt de multis vnum aut alterum adferamus, elegantissimum adagium τηρεῖν τὴν κατ' ἄγκυραν ὁ πεῖσμα, id est, retinere cor in ancorali fune: hoc est, in sua cõstantia atque firmitudine, apud Synesium in Encomio calueiij hactenus redditum fuit, in Pisa animum præparare. Interpres enim pro πεῖσμα (quæ etiam πεῖσμα & πρυμνήσιον vocatur) legit πίσσα. Similis menda in libello Plutarchi περὶ ἀστρονομίας, vbi librariorum incuria, quæ ob neglectam pronuntiationem solet incidere, vox πεῖσμα, depranata est in πείσματα vt Erasmo ipsi ansam erroris præbuerit, dum hæc ὁ τῇ ἐμπειρίᾳ πεῖσμα μένοντα τῷ θυμῷ vertit in persuasione Homerica permanentem.

EY.

In ευ diphthono hodie peccatur, sicut in ου paulò ante peccari ostendimus. Nam ευ sonat eu, non ef. εὕρω, eurus, εὔγε, euge, πεντεύχος pentateuchus non pendatefchos.

OI.

OI, sicut in *ei* tradidimus, integrè quoque proferendum, vt vtriusque vocalis sonus possit exaudiri, non tanquam simplex ἰῶτα, quemadmodum vulgò. Sono quippe differunt πιότης obesitas, & ποιότης qualitas. Quod liquet ex dictionibus Gallicis, *moi, foi, toi*: quas retinuerunt à Græcis μοί, ῥοί, Doricè, τοί, & οἱ, aspiratione mutata in f, quemadmodum ὗς in sus.

Manſit in extremis syllabis integrior hæc diphthongus in iis quidem vocabulis quæ in n desinunt, vt *soin, besoin, loin*. Et apud Latinos in his vocibus, Troia τροία, non Tria.

Hanc diphthongum etiam retinent antiqui illi dativi *bonoi, domuoi*, pro *bono, domuo*: & illud Catulli initium, *Quoi dono lepidum nouum libellum*.

Thucydidis locus ex libro historiarum primo tam planus est, vt de sono *oi* minimè dubitari possit. Nam quum patrum aut auorum memoria oraculum quoddam Athenienſibus datum esset, propter longitudinem temporis iterum penè è memoria illorum abiit, vt ij qui à patribus illud acceperant, in magna varietate & dissensione essent, aliis λοιμός in carmine, alios λιμὸς sonantibus. Quum autem præteriisset illud bellum, & magna pestis strageique hominum & bestiarum totam terram inuasisset, tum λοιμὸν fuisse in oraculo dicebant. Quòd si alio tempore, inquit Thucydides, aliud bellum ingruat quod fames quædam sequutura sit, tum λιμὸς & non λοιμὸς dicent. Carmen verò apud Thucydidem hoc est:

ἥξει δ' ὠρομένου πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Matthæi xiiij. cap. Καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπους.

Latini hanc diphthongum per œ reddunt, Φοῖβος Phœbus, Κροῖσος Cœsus.

OY, u vocalis.

OY profertur vt u vocalis, id est, ou.

μοῦσα Musa, τοὺς λόγους, tous logous.

u enim, licet nonnullis hodie corruptè sonet vt *v* siue u Gallicum, omninò Latinè proferendum vt hæc diphthongus ου, quæ inter proprias sola rectè ab omnibus pronuntiatur, & pura pura in sono relinquitur.

Igitur u Latinum scriptura simplex, sono coniunctum est: quare diphthongus potiùs quàm vocalis censenda videtur.

Nisi enim o in u sonaremus, à Latino u ad Græcum υ veniremus. hoc autem inter se distant quòd υ simplex est, nihil admixtũ nihil alienum adiunctum habet: u verò perpetuum *o* ducem soni habet, & iunctus cum illo perpetuò in ore exit.

Tradunt etiam nonnulli aliquando pro u longo scriptum ab antiquis fuisse υ vt lumen, numeri j, & Græci ferè υ diphthongo reddunt vocalem u Latinum idem sonantem.

Tullius Τύλλιος: Gaza & Planudes Τούλιος, Iunius Ἰουνίος, Brutus Βροῦτος, custodia, κουστωδία. Itémque u consonantem crescente numero syllabarum, Valerius οὐαλέριος. Varro οὐάρρων. Seruius Σερούιος, Heluetij ἐλουήτιοι, Plutarch. οὐήρτιον.

YI.

TRES quæ sequuntur diphthongi, licet propriæ, rariores tamen sunt, & κακόφωνοι vocantur hoc est, malesonantes, quòd difficiliores sint prolationis: videtur esse causa cur à Grammaticis inter impropias numeratæ sint.

υι igitur siue υῖ sonat ui per u Gallicum vna syllaba comprehensum, non i longum, vt vulgò solent efferre: ἁρπυῖα harpuia non harpia. Quam diphthongum videre licet in his dictionibus Gallicis, *puis*, puteus, *pluie*, pluuia, *huis*, ostium.

Quæ Græcè scriberentur, πυῖς, πλυῖε, ὑῖς.

HY.

HY sonandum esse aiunt plerique vt eeu, non if, quemadmodum vulgò, quòd sit facta ex ει, id est eu, ι in η mutato, vt ab εὔχομαι ηὐχόμην, eeuchomeen, non ifchomin.

ΩY.

ΩY proferendum eodem ferè modo vt υ, sed vastiori sono, nempe oou non of. Ionum propria est: illi enim pro οὗτος dicunt οὗτος, hoc est, ooutos, non oftos vt vulgò. Hoc tamen interest inter ου & ηυ ωυ, quod η & ω in istis, quum longa sint, pronuntiationem ita retinent vt hiatum vitare non possis.

*De tribus diphthongis impropriis.*

IMPROPRIÆ diphthongi dicuntur, quòd licet ex duab. constent vocalibus, non tamen duos sonos in vnum coactos exprimant, sed vnius tantùm vocalis sonum edant. Ideoque abusiuè & καταχρηστικῶς diphthongi vocantur.

ᾳ.

ᾳ, id est alpha, ι parvulo subscripto, sonat α longum: neque enim aliter ᾳ atque α simplex vocalis effertur, φιλᾳ philia.

ᾅδης, hades, id est, Pluto: sæpe pro inferis & terra ponitur, quomodo vtitur Polyxena apud Euripidem in Hecuba,

ἐκεῖσ' ὁ ᾅδης κεῖσθαι χωρεῖς οὐθένα.

ῃ.

ῃ, id est, ἦτα subscripto ἰῶτα sonat vt η, hoc est, ee.

τῇ τιμῇ tee timee, non ti timi.

λῃστής, leestees, καὶ δεσπότην λῃστής.

ῳ.

ῳ, id est, o mega ἰῶτα subscripto, sonat ωου λόγῳ too logoo. Pro hac Latini œ vtuntur: κωμῳδία comœdia, τραγῳδία tragœdia.

Olim, ἰῶτα ipsam literis adscribebatur, non subscribebatur, minori tamen forma quàm præcedens litera, quasi dimidiatum ἰῶτα hoc modo, αι ηι ωι. Quæ scribendi ad latus consuetudo remansit in literis capitalibus Αι, Ηι, Ωι.

*De τ post ν: ν ante β π post μ: γ ante ε γ, & similibus.*

Grammatici nouos quosdam pronuntiationis canones hic solent subiicere.

Illi enim tanquam edicto perpetuo cauerunt literas τ ν π γ κ alios atque alios sonos admittere. τ enim post ν sonare vt d: ante β, μ, π, vt m: π post μ, vt b Latinum, itidem post ν in diuersis dictionibus: γ ante γ ξ χ sonare perinde vt n, sic ante ε, sed ipsum κ sonandum vt γ.

Εὐφωνίκης

Εὐφωνίαν praetexunt, sicut in omnium literarum & diphthongorum sonis.

Τὸν Βανδαλον & Ἀνδόυιον proferunt *ton dandalon & Andouion.*

Atqui si ita sit, quis discernet inter ἡ σεισμὸν, id est tremorem, & ἡ δόμον cursum intrem inter οἶκόνδ' adverbium ad locum, id est domum, siue ad domum, & οἶκόν τε domúmque, si eadem vtrobique est pronuntiatio? Quorsum denique attinebat illa disputatio περὶ ἐντελεχείας & ἐνεργείας, quæ tot tantorumque virorum ingenia & labores in vtramque partem torsit, dum hic per τ, ille per δ scribendum putat, nisi quia non eadem vtrinque significatio nec prolatio?

Harmenopolus ac Theophilus in libris iuris Græcè conscriptis vtuntur dictione τεστάμεντο, vt verisimile sit non aliter sonuisse quàm Latinam vocem *testamento*, non autem *testamendo*.

Euphonia id suadet, quòd omnes literæ sonent vt scribuntur.

Longè verò cõmodius ἡ βίβλος sonamus *ton bibl.* quàm *tom bibl.* quemadmodum Latinis *nomen bonum*, non *nomen bonnum*: item facilius ἡ παῦλον *ton Paulon*, quàm *ton Baulon*. Ad quod etiam facit sententia Fabij, qui ait apud Græcos nullam dictionem in μ finiri, nempe quia molesta eius sit pronuntiatio.

Γ ante alterum γ, vel κ, vel χ, vel ξ, quod docent Grammatici sicut ν pronuntiari solere, vt ἄγγελος, ἀγκύλη, ἀγχίστης, Angelus, Ancilia, Anchises, quomodo proferre solent Latini: ne hoc quidẽ controuersia caret. Nam probabile est, Græcos, si pronuntiationem mutassent, ipsam quoque literam fuisse mutaturos, sicut in συμπληγάδες pro σωμπληγάδες, κάθηλλε, pro κάτηβολε, & similibus: quod ν ante π, & τ ante β collocari non possit vt testatur Dionysius. Atqui tantum abest vt suum γ sequentibus illis literis mutarint in ν, vt contrà si ipsum ν occurrerit, sonum illius auersati, & mollitiem illam aspernati, soleant conuertere in γ, vsitata illa orthographiæ regula, quod semper ν ante γ κ ξ χ migrat in γ, quam ita tradit Γαζα, ἔστι σφὶς ἡ γ ἔγχος, ἔγκλημα, ἔγκλειστος ἐν τῷ γ. Cedò, qua ratione dici potest, conuerti in γ, vt deinde ipsum γ sicut ν pronuntietur? Nam potius ipsum ν seruari & γ, si occurrisset, in ν conuerti oportuerat. Quòd si quis obiciat, Latinam pronuntiationem: respondemus non de Latina, sed de Græca lingua hic quæri. Γ autem in ν à Latinis mutari non magis miror, quàm δ in l, vt Ὀδυσσεὺς Vlysses: & in β, vt δὶς bis. Si rursus quis opponat, id postulare pronuntiationis rationem: iterum quæram, cur igitur, quòm eiusmodi plerisque locis occurrit, in γ conuertitur, ac non potiùs retinetur? deinde quid tandem causæ sit, cur hoc dicamus poscere pronuntiandi rationem, quòm ipsum potius ν cum illis literis cohærere non posse Dionys. doceat, & regula orthographiæ id apertè declaret? Certè Priscianus author est, vetustissimos scriptores Romanorum euphoniæ causa pro n scripsisse g, vt Agchises, ageps, aggelus, aggens: quod ostendit Varro 1. de origine linguæ Latinæ, his verbis: Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt, in eiusmodi Græci & Actius nolter binam g scribunt, alij n & g, quod in hoc veritatem facilè videre non est, similiter ageps & agcora. Victorinus autem cui propter antiquitatem plurimum tribuendum est, ait γ ante γ & ante κ sonandum potius vt n. Idem vult duo g scribi quotiès duorum g sonum autes exigent, vt aggredior, suggero, oggannio, & similibus. Cur enim non consulatur auribus? quarum esse iudicium superlussimum dixit Cic. in Oratore. Duplex igitur γγ Græcè efferendum quemadmodum ipsi Latini pronuntiant in aggerere: & tanto mollius esse videmur quàm duplex κ, quantò mollius pronuntiatur γ quàm illud autem κκ & Latini & Græci vsurpant, vt ἐκκλησία ecclesia.

Fatendum quidem est ante χ vel κ vel ξ, γ proferri non posse præsertim in vltimis syllabis, vt σύριγξ, φάλαγξ, λύγξ. Syrinx, Phalanx, lynx. quia nimirum γ nullam habet conuenienam vocalem cum qua cohæreat.

Sed quid hic facias, quum disertè dicant Græci ipsum ν iisdem his literis præponi non posse? quod si verum est, (cur Latini tamen id faciunt? scribunt enim Ancillæ, Anxur, Anchises) & Græci Grammatici cur γ ante has literas vt ν pronuntiandum esse docent? Nam si pronuntiari potest vt debet, certè etiam scribi. Respond. in huiusmodi vocabulis literam quidem n & à Latinis scribi, & à Græcis pronuntiari, sed adulterinum, sicut Gellius ex Nigidio obseruauit. nam n non esse (inquit Nigidius) lingua indicio est: nam si ea litera esset, lingua palatum tangeret.

Hanc ergo doctissimi Grammatici præceptionem si sequamur, dicemus ν ante γ κ χ ξ mutari à Græcis in γ, non vt ipsum γ enuntietur, (nam id fieri non potest) sed vt significetur illud ν peregrino quodam sono esse pronuntiandum, id est, infracto, ita vt lingua palatum non feriat, quomodo etiamnum hodie à Gallis pronuntiari solet m vel n, in mediis præsertim dictionibus, quum syllabam claudunt: *manger* edere, *encre* atramentum. *Anglos* Anglus, *Anjou* Andegauum, *trembler* tremere, *somne* somnus, *colomne* columna, *combatre* pugnare.

*APPENDICIS FINIS.*